FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

MATHURINI CORDERII || COLLOQVI=||ORVM SCHOLASTI=||CORVM LIBRI IIII. CVM AR=||gumentis, & restitutione eorum, quæ in pon-||tificia editione vel ...

Cordier, Mathurin

Magdeburgi, 1583

VD16 ZV 31079

MATVRINI CORDERII IN COLLOQVIorum suorum libros praefatio.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149888

Visual Library

MATVRINI CORDERII IN COLLOQVIorum suorum libros præfatio.

ANNVS agitur minimum quinquagesimus, ex quo suscepta docendi pueros prouincia, in hanc cogitationem totus incubui, quà posſem ratione efficere, vt pueri pietatem bonosq; mores cum humaniorum literarum studijs coniungerẽt. Quamuis enim, quum Parisiis primùm eo munere fungi cepi, cùm in alijs gymnasiis, tum in Rhemensi, S. Barbaræ, Lexouiensi, Marchiano, Nauarreo, nondum mihi verum Euangelij lumen illuxißet, sed in profundis superstitionum tenebris demersus iacerem: discipulos tamen meos bona fide semper non solùm ad humanitatis studia, sed etiam ad cultum diuinum adhortabar, si tamen eo nomine appellare licet profanos illos falsæ Ecclesiæ ritus, quos ego penè ab incunabilis hauseram, & Deo acceptos eße mihi persuaseram. Me autem in illo instituto constanter perseueraße, satis idonei sunt testes libelli aliquot à me diuersis temporibus editi, in quibus scribendis semper mihi consilium fuit ad vtrunq; horum simul pueros formare. Idem testari poßunt & mei di-

scipuli, è quorum ingenti numero quum supersint ad hũc vsq; diem pleriq; celeberrimi viri, vnus tamen potißimùm in præsentia mihi occurrit ex ijs, quos Parisiis docui, præstantißimus ille I. C. quem honoris causa nomino. Ex quo autem mei misertus Pater clementißimus, mentem vera sui Euangelij cognitione illustrauit, multò etiam ardentiùs id propositum persequutus sum. Quòd & Niuernensis schola, & aliquantò pòst etiam Burdegalensis, ad quam, Lutetia profugus propter Euangelicæ doctrinæ profeßionem, me contuleram, per triennium experta est. Sed quum & plenior Euangelij cognitio deinde acceßißet, & vberior etiam, imò verò prorsus libera mihi eßet eius profeßio, tum verò voti mei compos reddi, vehementiore desiderio quàm vnquam antea concupiui. Atque id testari hæc schola Geneuensis iam pridem potuit, in qua ego, relicta Burdegalensi, docui: potuit & Neocomensis, cuius per annos circiter septem sui moderator (de Neocomo autem in Heluetiorum finibꝰ sito loquor) potuit & Lausanensis id testari, vbi gymnasiarchæ partes annos totos duodecim, magnificentißimorum Dominorum Bernatum auspicijs sustinui: potuerunt, inquam, vnà cum Geneuensi hæ quoq; scholæ id testari: sed & nunc eadem mihi testis esse potest, quum in eam me secundò Pater ille benignißimus, senectutis meæ misertus, quæ annum octogesimum quintum attigit, tanquam in portum tutißimum, post infinitos labores & multa pericula, receperit. Ex quo tempore sæpißime mecum cogitaui, qua potißimùm in

re inseruire

re inseruire illi possem, qui me per totam vitam tanta benignitate prosequutus esset. Meq; tot laboribus & periculis liberasset. Quum autem Robertus Stephanus, amicorum meorum intimus (quo primùm Doctore ad Euangelij cognitionem vsus fueram) me, vt aliàs sæpe, ad scribendum aliquid pueris, vehementer hortaretur, & adminicula, quæcunq; necessaria essent pollicerretur, atque adeò iam mihi amanuensem suis sumptibus aleret, animum ad eam rem appellere cœpi. Sed, prò dolor, Robertus ille meus haud multò post ex hac vita ad Christum, non sine maximo literarum detrimento, commigrauit. Neq; tamen ego incœpto destiti, sed aliquot opuscula scribere sum aggressus, quibus me consulturum puerorum studijs sperabam, si quando mihi manum illis extremam imponere liceret. Verumenimuero ex quo tempore ad hanc docendi prouinciam, Deo ita volente, sum reuocatus, sic animum abieci, vt vix sperare possem aliquid vnquam edendi mihi datum iri spatium: propterea quòd, vt semper antea feceram, me ad satisfaciendum discipulis ita dedebam, vt ne succisiuas quidem horas mihi liberas relinquerem. Et quamuis permulti sæpe mecum agerent, adeoq; præcibus efflagitarent, vt tandem aliquid ad puerorum vtilitatem in lucem emitterem: nemo tamen persuadere poterat, vt mihi exirent è manibus, quæ iudicio meo nondum satis probabantur. Anno tandem superiore, quum docendi adiutor ex animi sententia mihi dono Dei obtigisset, venit in mentem chartulas meas, præsertim vetustiores diligentius excu-

tere: inter quas occurrerunt hæc nostra Colloquia, quæ iam ferè triennium quasi sopita in museolo meo latuerant. Ea igitur, velut è somno excitata, quum in manus sumpsissem, placuit matutinis horis (id est, tempore mihi à docendi prouincia vacuo) recognoscere, aliquot etiam augere Colloquijs, & quantum res ipsa patiebatur, expolire. Peracta recognitione, visum est opusculum communicare cum quibusdam viris doctissimis: qui quum meum in eo consilium probassent, dignumque censuissent, quod pueri cum Grammaticæ rudimentis haberent in manibus, ego persuasus frequenti eorum
« hortatione, permisi vt liber in publicum ederetur. Sunt
« enim hæc nostra Colloquia eiusmodi quæ (nisi me fallit
« animus) bonæ indolis pueros magnopere iuuare possint
« ad eas res consequendas, quas ego semper in votis habui,
« & in quibus, vt pueri exercerentur, omni professionis
« meæ tempore potissimum laboraui: hoc est (vt supra di-
« xi) ad pietatem & bonos mores cum literarum elegantia coniungendos. Equidem fateor alijs opus esse ad eam rem adiumentis, quàm hæc sint puerilia Colloquia: sed tamen si pueri diligenti magistrorum exhortatione assiduè incitati, in his lectandis sese oblectabunt, futurum confido, vt non solùm puriùs & honestiùs sermones inter se conferre assuescant, sed à prauis etiam colloquijs abstinere: quibus (vt ait Apostolus ex Menandro) mo-
« res boni corrumpuntur. Hic enim, præter linguæ La-
« tinæ simplicem puritatem, multæ interiectæ sunt modò
« ad pietatem & Dei timorem admonitiones, modò

præcepta ſalutaria de moribus, paßim verò documenta ,,
ſiue exempla ad rectè viuendum accommodata. Vt inte- ,,
rim taceam, quod modis vna & eadem opera excitari & ,,
acui poßit puerorum ingenium & ad prudententiam
& ad iudicium comparandum: vbi ſcilicet alter alterum
hortatur, admonet, arguit, libereq; reprehendit. Porrò
in his ipſis libellis ſic induxi loquentes pueros, vt etiam ,,
obiter & quaſi aliud agens, parentes, pædagogos, præ- ,,
ceptores quoq; minus diligentes, de ſuo quenq; in tra- ,,
ctandis puerilibus ingenijs officio, compluribus in locis
commonefaciam. Sed de Colloquiorum vſu atq; vtilitate
hactenus. Reliquum eſt, vt illa pueri, in quorum vſum
conſcripta ſunt, eo quo ſcripſimus animo amplectantur
& legant: ijsq; quandiu opus erit, fruantur. Quòd ſi
quid fructus ex eorũ lectione ſe percepiſſe intellexerint,
ei gratias agant immortales, qui nobis ad ea ſcribenda
& animum & facultatem ſuppeditauit. Interea quoq;
meminerint preces ad ipſum Deum ſæpe & ex animo
pro huius ciuitatis ampliſſimo Senatu & prudentiſſimis
magiſtratibus fundere: ſub quorum felici adminiſtratio-
ne, Deo ſua gratia prouidente, tranquillam vitam agi-
mus, ſtudiaq; noſtra in ipſius gloriam feliciter proſequi-
mur. Datum Geneuæ, VIII. Id Febr. anno Chri-
ſtianæ redemptionis, M. D. LXIIII. ætatis
autem noſtræ LXXXV.